

Letter 482: 15 June 1532, Basel, Oswald Myconius to Capito

The manuscript of this letter is in Zurich ZB ms. F 81, no. 311; there is a copy in Zurich ZB ms. F 58, pp. 688-9 and ms. S 32, no. 43.

Salutem et pacem a Domino. Proximis literis de me scripsi, nunc de rebus communibus scribam, sed paucis, interim tamen talibus, ut videantur diligentius consyderandae. Monuit me hisce diebus D. Henricus Utingerus, olim canonicus Tigurinus, vir canicie, doctrina, probitate insignis, ut quanta possim diligentia apud nostros incumbam, si qua ratione redintegrari queat amicitia, inter civitates evangelium professas. Adeo enim quinque pagorum insolentiam magis magisque crescere, ut timendum, ne quando ni malum evangelii cessura sit. Amorem restauratum vel in speciem, illud posse, ut etsi non opprimi valeat ista, reprimi tamen, vel ut minimum sisti possit. Praeter hoc igitur quod interim egimus, quod petiit ille, noluimus te lateret, si pro magnitudine consiliorum tuorum aliquid invenias praesenti negotio adcommodum. Certum est apud me, si rei clarum esset initium aliquod, facile confectum iri, quod omnes boni desyderant. De mandato Tigurinorum non dubito quin audiveritis, imo quin id iam legeritis, alioqui misissem. Illud novum, inventos, qui superioribus mensibus in cellis vinariis missarint apud Tigurinos. Fuga tales sibi consuluerunt. Ex his unus gener est Reusti consulis.

Senatus paucis ante diebus illic expletus est bonis et evangelicis viris, quod mire dolet impiis, reliquos admodum exhilarat. Praeterea pagi hac septimana fuerunt Tiguri. Quid egerint, incertum. Hoc constat, de totius Tigurinorum oculis apud Senatum eos esse conquestos. Ignorare se inquietos, amici sint, necne. Timentur turbae propter sacrificum captum, et male, sed propria culpa, habitum a quibusdam rusticis ditionis Tigurinae, id quod pagi intantum exaggerant querendo, ut velint de iis vindictam sumi a Tigurinis, vel sibi ad sumendum concedi. In trivio sunt igitur illi, maxime, quod e subiectis plerique sic iacent: Si hos punierit senatus de re, quam hic doctrina seniorum, et mandatis nobis hactenus iniunxit, videmus quae res sit, nempe ut nemo iniuriam a paganis propter verbum Dei factam deinceps repellat. Optimum erit igitur in totum, quod aliquot annis tenuimus, relinquere, et nos dedere pagis. Alii aliter, tamen, ut tandem senatus haereat. Interea non desunt, quibus consiliis in animo est turbis occurrere. Orandum ego video Deum, ut omnia cedant in gloriam eius. Hactenus de his rebus satis.

Nunc de eo, qui literas tibi affert. Is est, de quo primo Argentinae, deinde hic etiam ex me audieras nuper, ingeniosus adolescens Tigurinus ille, de quo mox ubi acceperas, tibi datum iri, petieras ne periret ingenium tam praeclarum. Pater proximo bello occisus est, liberis relictis admodum multis, quamvis aliquot pestis, ut audio, iam absumpserit. Mater tenuiter cum reliquis agit, sed interim pie. Laborant omnes, quisque pro tuo modulo. Hic unus visus erat aptus literis. Ex alphabetho nos educavimus commendatum a patre. Talem mox se praebuerat, ut saepius miratus fuit profectum, quem ad literas adhortatus sim. Habuit vetulum sacrificum quendam matris cognatum, qui cibum interea, et quibuscumque f[ue]rat¹ opus, suppeditabat. Is iam ad extrema per temporum improbitatem redactus, vix sibi ipsi ministrat. Ubi iam puer intelligere coeperat et latina et graeca, Ammianus ille, lector graecanicus apud Tigurinos, a[d]² se recepit, victum praebens usque ad calamitatem illam nostram, propter quam coactus a magistratu (quia canonicus) pecuniam certam in singulas septimanas conferre ad fovendum presbyteros a pagis in exilium eictos. Atque haec causa, cur Conhardum hunc amplius fovere nequiret. Ingenium huius non est, ut multis veham, videbis mox quale natura sit. Equidem spero tibi placitum.

¹ Letters cut off on margin.

² Letter cut off on margin.

Bonus est, quae nescit, discit libenter. Quae scit, obit diligentissime. Haec dico, quod noveram a puer[o] et nisi Deus aliquid immutaverit, non dubito, quin charissimus tibi futurus sit. Ne vero proceritas te terreat, sedecim annorum est, non amplius. Tractabilem invenies, et ad manum, quocunque tandem volueris uti. Si receperis, nosti cui nam prae caeteris gratum facias. Interim tamen et cognatis adeo inservies, ut immortales sint habituri gratias tibi. Nam ex his avunculus adolescentis, qui nuper in curiae magistrum electus est, ad me scripsit, unde quod dico, facile possum intelligere. Commendo itaque tibi Conhardum, nam tantispere agas patrem erga ipsum, dum obsequentem fueris habiturus. Valete per Dominum Iesum cum uxore, meque semper commendatum habeas quaeso. Salutabis nomine meo, si non reiiciat, D. Bucerum. Huius ingenio namque plurimum faveo. Basileae XV die Iunii anno MDXXXII.

Osvaldus Myconius.